



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Aphorismi Confessariorvm Ex Doctorvm sententijs collecti**

**Sá, Manuel de**

**Coloniae, 1610**

Princeps.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41645**

gem communem præscriptionis.

8 Eligendi ius præscribitur quadraginta annis, etiamsi vnus solus actus interueniat.

9 Prohibita alienari non præscribuntur ante triginta, vel quadraginta annos. Vide *Syl. præscriptio. 2. num. 12. Mol. disp. 70.*

\* Quæ nequeant præscribi, docet *Syl. l. c. 2. vide Couar. l. c. p. §. 3. Mol. d. 79.*

De præscriptione nonnulla *Lopez p. 1. à c. 133. multa Mol. ad. 61. quædam Sot. l. 4. q. 5. art. 4. Sal. l. c. Val. t. 3. d. 5. q. 6. p. 5. Ban. ad q. 62. d. 5. q. 4.*

10 Statutum tollens præscriptionem, non tollit eam, cuius initij non est memoria.

*Primitia, vide Decima.*

*Præuilegium, vide Gratia.*

*Princeps, vide Dominus. Lex, Officium.*

1 **R**ex tenetur pro Republica vitâ ponere.

2 Potest per Rempub. priuari ob tyrannidem, & si non faciat officium suum, & cum est causa aliqua iusta: & eligi alius à maiore parte populi. Quidam tamen solum tyrannidem causam putant.

\* Quidam } *Sot. lib. q. 4. art. 1. col. 6.*

3 Tenetur Princeps corrigere mala publica, si possit sine damno Reipubl. & agere causam populi, adeoque curare vt Episcopi, & Curati resideant: quantum iure permittitur.

\* *Nau. c. 25. nu. 8.*

4 Potest dispensare secum ex causa in suis legibus: nam sine causa peccat.

\*Etiam cum alijs, si oriatur damnum, scandalum ve publicum, aut priuati. *Nau. c. 25. n. 5.*

5 Potest etiam legitimare filium suum, non vt pater, sed vt Princeps.

6 Potest ex causa rem vnius alteri dare, & locum Reip. communem sine populi consensu, proprium in vsum assumere, & reuocare suum contractum, & datum à se privilegium, etiam remuneratorium. Cum autem requiritur causa iusta, vt aliquid facere possit, non ei credendum dicenti esse causam iustā, nisi appareat.

\* Vide *Sylu. V. Princeps.*

7 Gubernator ciuitatis habetur loco Principis: itaque eius licentia, vel scientia supplet defectum cuiusuis solemnitatis.

8 Gubernare principaliter ob gloriam, aut diuitias, non est mortale.

9 Imperator potest esse Iudex in causa sui fisci.

#### PROCESSIO.

1 **I**N processione Corporis Christi nulla Reliquia gestatur.

2 Cum fit processio, pulsantur campanæ, ad excitandam populi deuotionem.

*Procurator, vide Casus fortuitus, Iudiciales actus.*

1. Procur-